

facile agnoscitur &c. et extat T. I. edit. mere lat. Lugd. 1687. p. 206. f. per cujus Editionis Tomos VI. et subsequi Sermones dispersi sunt, quos omnes suis paginis designare, operae pretium mihi visum non est. A fol. 77. p. 2. succedunt alia Ejusdem Opuscula: De Reparatione Lapsi. De Compunctione prima et secunda. De Psalmo quinquagesimo. De eo, quod scriptum est: Vae mundo a scandalis. De eo, quod nullus ledit aliquem, nisi prius ipse se leserit. De penitentia, quae pariter, praecipue T. V. praedictae Editionis continentur, et a nobis jam alias etiam relata sunt. Ad calcem legas: Anno domini Millesimo Quadringentesimo XXX^{vo}.

II. fol. 109. sequitur: *De titulo triumphali et laude nominis iesu. Secundum Berardinum de Senis sermo.* Virum hunc ex O. M. anno 1444. vivis exentum insignem fuisse propagatorem cultus venerandi hujus Nominis, notum est, testanturque in hanc diem Aedibus apud nos quibusdam praefixae radiatae literarum IHS Effigies a *Job. Capistrani* ejus Discipuli temporibus. Sermo praefens extat *Tomo IV. Opp. Lugd. 1650.* p. 8. f. inscriptus *de Circumcisione Domini.* Verum totum ibi deest, quod tres nobis columnas occupat, Exordium. Ita Editores saepe aut imperfecta sequuntur Exemplaria, aut agunt pro arbitrio. In edit. Thema ponitur: *Vocatum est nomen Jesu. Luc. I.* nobis vero: *Jesus nazarenus rex iudeorum. Job. 19.* tum ita inchoatur: *Ad*

laudem et gloriam nominis regis nostri iesu christi tractaturi de titulo triumphali tria circa hoc ante omnia prenotemus. Primo titulum occasionem. Secundo litteralem variationem. Tercio diuinalem dispensationem. Haec porro singula fuse edifferuntur ne verbulo quidem facto de *Circumcisione*, dum tandem in iis verbis: *Primo quidem nomen regis iesu dulcorosum est propter spem veniae &c.* Codex et Edita concurrant. Sed et hic praepostera crisi usus Editor τὸ *dulcorosum* in *dulcissimum* mutavit, ignarus nempe, quam studiosi fuerint Oratores illius aevi Partitionum ὁμωτελευτων, ut hic *Dulcorosum, Gratosum, Gloriosum.*

CCLXX.

Codex membraneus lat. Sec. R. 75 XII. Folior. 45. 8. nitide exaratus, titulisque olim miniatis insignitus, quos tamen putidus quidam homuncio penitus abrasit, complectitur *Opuscula* seu *Sermones VI. S. Epbraem Syri Nisibeni* clari Sec. IV. Scriptoris, cujus Operum splendidam habemus Editionem *syr. graec. et lat. Romae 1732—46. T. VI. f.* Et mature quidem Viri celebritas et Scriptorum praestantia interpretes in utraque lingua nacta est, quorum nec nomina tenemus. Hos inter censeatur is, qui *Opuscula* nostra Latio donavit; non enim, quae *Codicis* aetas est, aut ad *Ambrosium Camald.* aut ad *Petr. Fr. Zinum*, qui quaedam *Epbraemi* traduxere,

re, referri possunt. Videamus singula. I. *Incipit liber S. effrem diaconi*. Initium: *Gloria omnipotenti Deo, qui os nostrum superno nutu aperuit &c. Ανεξδοτος ratur Laur. Alex. Zacagnius Bibl. Vatic. Praefectus e Codd. Vatic. et Casanat. inter Monumenta vet. Ecclesiae graecae et lat. Romae 1698. p. 106. 4. edidit, ignarus nempe praeventum se plus quam integro seculo ab homine Germano. Objaecet enim mihi Coloniensis Editio Opusculorum S. Ephraem anno 1547. 8. quam Melch. Novesianus Guil. Hittorpio Abb. Monasterii vet. Montis inscripsit, in qua p. 44. totidem verbis habes Sermonem nostrum de Resurrectione, ut ibi audit, de Judicio, de Regno Coelorum et de Munditia Animae. Ignoraverit autem Zacagnius Editionem hanc Colon. at Romanam nosse poterat curatam a Ger. Vossio a. 1589—97. f. quae pariter Versionem nostram T. III. exhibet. Neque enim, quod ait in Titulo Vossius, nunc recens Latinitate donata, ad omnia, quae tribus ejus Tomis continentur, extendi debet.*

II. fol. 5. p. 2. Liber, qui apud Novesianum p. 52. inscribitur: *De Beatitudine Animae*, et nobis, ut illi, incipit: *Beatus qui odio habuerit hunc mundum &c.*

III. fol. 9. Liber, qui apud Novesianum inscribitur p. 58. *de Poenitentia*, et incipit: *Dominus noster Jesus Christus, qui descendit de sinu patris &c.* Habetur etiam versus ab Ambrosio Camald. in elegantissima Editione XIX. Sermo-

num Florentiae apud Antonium Bartholomaei Miscbomini 1480. fol. g. II. 4. et in alia f. l. et a. 4. min. quam Romanam Euchar. Silber puto.

IV. fol. 12. p. 2. Liber, quem Novesianus p. 65. *de Luctamine spiritali* inscribit, cujus initium: *In luctaminibus hujus seculi nullus sine agone &c.* Extat jam etiam apud Vossium T. II. et tamen a Zacagnio pro inedito vulgatus l. cit. p. 114.

V. fol. 16. p. 2. Sermo a Novesiano inscriptus p. 71. *de Judicio extremo*. Incipit: *Venite dilectissimi fratres, exortationem meam suscipite &c.* Alia Ambrosii Camald. versio in Edit. Florent. cit. fol. b. V.

VI. fol. 17. p. 2. Libri II. a Novesiano p. 1. inscripti *de Compunctione Cordis*. Incipit prior: *Dolor me compellit edicere, et iniquitas mea comminatur mihi &c.* Finit posterior: *et gloria spiritui sancto, qui salvavit nos. Amen.* Legit Editio Noves. *qui renovavit nos.* Atque in universum variat quandoque lectio, pro qua judicanda ad Textum syriacum, aut saltem graecum, ubi is habetur, recurrendum foret. Aliam horum II. Librorum versionem Ambrosii Camald. exhibet Editio Florent. cit. fol. C. II. Aliam vetustiore f. l. et a. 4. existere meminimus, quae tamen ad manum non est, quaque Versionem nostram, non vero Ambrosianam, contineri autumo. Ceterum de Nostro, e jusque Scriptis conferri potest Fabricii Bibl. Gr. L. V. c. 2. §. IX.

p. 319. et Steph. Evod. *Asser-
manus in Prolegom. T. I. Opp.
Ephr. edit. Rom. supracit.*

CCLXXI.

R. 3089 Codex membraneus lat. Sec.
XII. et XIII. Folior. 70. 4. maj.
prioribus partibus elegantius scri-
ptus, rubricis, et loco suo multis
Schematibus illustratus, olimque
Pomerij Montis, seu *Baumgar-
tenbergae* Ord. *Cist.* initium ita
ducit: *Incipit liber effrem diaconi
de compunctione cordis.* Pia hujus
Syri Opuscula, qui post Sec. IV.
medium inclaruit, mature Occi-
denti versionis ope cognita fuisse,
vel Codex hic *Vincentio Bellovac.*
qui eorum quaedam commemorat,
vetustior evincit. Non igitur *Am-
brosius Camaldul.* cujus versiones
Florentiae 1481. bellissime *f. min.*
impressae mihi adjacent, primus
interpres fuit. Splendida Operum
omnium *Ephraemi* Editio *Roma-
na* cum graeco-tum syrolatina est,
de qua dixi Cod. praeced. ad
quam exegi Codicem. Liber, cu-
jus titulum jam dedi, incipiens:
Dolor me compellit hęc edicere
&c. ibi T. I. p. 40. inscribitur
Sermo Asceticus, atque indivisus
decurrit; nobis vero fol. 19. *Ex-
plicit liber primus. Incipit secun-
dus* ab his verbis: *Uenite karissi-
mi. uenite patres et fratres* &c.
quae non habentur in Editis, sed
eorum loco post asteriscum: *Sobrii
igitur simus et vigilemus* &c.

Fol. 23. p. 2. *De iudicio dei
et resurrectione et de regno celo-
rum et mundicia anime.* Initium:

*Gloria omnipotenti Deo qui os no-
strum superno nutu aperuit. Ut E-
dit. T. III. p. 553.*

Fol. 27. p. 2. *De beatitudine
anime.* Initium: *Beatus, qui odio
habuerit hunc mundum &c. T. I.
p. 292. hi Μακαρισμοι* inscribun-
tur *Beatitudines aliae.*

Fol. 30. *De penitentia.* Initi-
um: *Dominus noster Ihesus Chri-
stus qui descendit de sinu patris &c.
Ut T. I. p. 148.*

Fol. 33. *De luctaminibus.* Initi-
um: *In luctaminibus huius seculi nul-
lus sine agone &c. Ut T. III. p. 557.*

Fol. 36. p. 2. *De die iudicii.*
Initium: *Uenite dilectissimi fratres.
exhortationem meam suscipite. et
semper mementote &c. Ut T. II.
p. 50. Atque de haecenus adlatis
nemo in jus vocabit Ephraemum.
Alia sequentium est ratio.*

Fol. 40. p. 2. *Ammonitio per
quam docemur ut cogitationes tur-
pes debeamus fugere. et eas quę
sanctę sunt cum dei adiutorio in
corde seruare.* Initium: *In scriptu-
ris sanctis fratres karissimi legimus.
quia eos qui de anime salute solli-
citi sunt cogitatio sancta custodiat
&c. Unum aliquem e Sermonibus
ad Eremitas Augustino subpositis
legere te putes. Interim Trithemii
tempore Ephraemo tribuebatur,
ut vides de Scriptt. eccl. n. 78.
Ignorarunt id Mauriani, qui T.
V. Augustini Append. col. 525. ad
Caesarium referunt.*

Fol. 42. p. 2. *Ammonitio per
quam suadetur ut omnis populus
donec diuina mysteria celebrantur
in ecclesia expectet.* Initium: *Rogo
vos fratres karissimi et paterna
pietate*